

quid an uiuat. Eadem de causa nec sanguinem iis esse, qui sit nullis carentibus corde atque iecore; sic nec spirare ea quibus pulmo desit. Vnde numerosa quaestionum series exoritur. Iidem enim et uocem 6 esse iis negant in tanto murmure apium, cicadarum sono, et alia quae suis aestimabuntur locis. Nam mihi contuenti semper suasit rerum natura nihil incredibile existimare de ea. Nec uideo cur magis possint non trahere animam talia et uiuere quam spirare sine uisceribus, quod etiam in marinis docuimus, quamuis arcente spiritum densitate et altitudine umoris. Volare quidem aliqua et animatu carere in ipso spiritu 7 uiuentia, habere sensum uictus, generationis, operis, atque etiam de futuro curam, et quamuis non sint membra quae uelut carina sensus inuehant, esse tamen iis auditum, olfactum, gustatum, eximia praeterea naturae dona, sollertiam, animum, artem, quis facile crediderit? Sanguinem non esse iis fateor sic ut 8 terrestribus quidem, cunctis inter se similem. Verum ut saepiae in mari sanguinis uires atramentum optineat, purpurarum generi infector ille sucus, sic et insectis quisquis est uitalis umor, hic erit sanguis. Denique existimatio sua cuique sit; nobis proposi-